HUGO DE SANCTO VICTORE
Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35481
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



egrediebatur de loco uoluptatis ad irrigandum paradysum. quod inde
diuiditur in .iiii. capita. Patet ergo quante amenitatis locus ille
fuit. in quo natura hominis adhuc a corruptione aliena foueri ac
nutriri debuit. quod fontibus ac fluminibus irriguus. arboribus omnigenis
frondosus et nemorosus. fructu tam pulchro ad uidendum. quam
suaui ad uescendum refertus predicatur. De ligno uite. xxx.

Ubi. inter cetera dei dona ad iocunditatem uite humane preparata
et illud mirandum commemoratur. quod lignum ibi uite esse dicitur.
cuius uirtus tam mirabilis esse perhibetur. ut certis temporibus sumptum.
uitam corporalem in homine quamdiu ipse homo illo uteretur. non solum
a morte. sed ab omni et defectu illesam custodire potuisset.

Lignum. et scientie boni et mali De ligno scientie boni et mali. xxxi.

Ibi fuisse narratur. quod non similiter quidem ex natura sua scientiam boni
et mali homini dare potuit. quemadmodum lignum uite uitam in homine corporalem ex natura sua et uirtute sibi indita a deo potuit
conseruare. sed idcirco tamen lignum scientie boni et mali dicitur. quia ad probandam hominis obediam siue inobediam experiendam parabatur.
Erant enim quedam bona que nec deum homo per experientiam cognouerat.
et erant similiter quedam mala. que nec deum per experientiam nescierat.
Et positum est quasi in medio lignum scientie. b. et m. ut per illud homo uel obediendo ad bona gustanda et cognoscenda transiret. ~~uel non obediendo ad bona gustanda et cognoscenda transiret.~~ uel non obediendo ad mala sentienda et percipienda pertingeret. Sic ergo in loco isto
siue boni siue mali cognoscendi occasionem accipere debuit. non
tamen ex natura ligni que hoc bonum ex se dare non potuit. sed in eo uel
obediendo boni. uel non obediendo mali pro debita remunera